



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Crux omnium grauissima quæ sit: quam patienter ea portanda, ad  
quantam item perfectionem gloriamq[ue] ea perducatur. Can. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Exercitia af-  
flictiva qua-  
tinus tantū  
adsumendū.

Castigatio  
moderata  
iuuenibus  
necessaria.

permissa fuerit, si ad grande aliquid tolerandum te vocauero; vires habes non in-  
sipienter per te exinanitas, quibus meæ satisfacere possis voluntati, vitia persequi,  
& prauis desiderijs non acquiescere, te humiliare, & ad mansuetudinem cogere, pro  
austera duratq; facie, serenam ac tranquillam, pro contumelia benignitas, pro ma-  
lis ac persecutionibus beneficia reddere. Hæc sunt filia, quæ in mea & meorum san-  
ctorum vita secure debes imitari. Quantum verò his iam dictis seruire adminicu-  
laritq; possunt castigationum & afflictionum exercitia, tantum & non ultra eadem  
debes admittere: quia hæc propter illa, non illa propter hæc mihi placent. Vnde &  
illa quæ ab Ecclesia aut superioribus instituta sunt, magis propterea ne obedientia,  
quam ne afflictione careas, obseruanda sunt. Itaq; sine vt persequantur te, torquant  
te, crucifigant te alij, & quomodocunque tecum volunt agant: tu exuta omni pro-  
prietate, per mansuetudinem sustine. Hoc erit mihi sacrificiū acceptius omni pro-  
pria voluntate, quam libet ad placendum mihi se exercente. Iuuenibus tamen & in  
quorum carne adhuc sensualitas viger, conuenit & plerunque necessaria est castiga-  
tio moderata, vt tractum gratiæ meæ sequi possint. Porro à senibus & debilibus ab-  
negationem, mortificationem ac suam relictionem expolco.

*Cruce omnium grauisissima quæ sit: quam patienter ea portanda, ad  
quantam item perfectionem gloriamque eadem perducatur.*

#### CANON XI.

Anima hæc  
cruce onu-  
ta quid fa-  
ciat.

**T**ertia deinde crux his tanto est amarior, quanto interior. Per hanc crucem in-  
telligas filia tentationes horribiles, quæ intus præmunt & angustiant animam  
à mundo abstractam, quæ temporali ac creaturarum consolationi penitus  
abrenunciavit, & iam à me quoque veluti derelictam, sterilem atque obscuram se  
sentit hostium corruptionibus expositam. Nam cogitationes fœde blasphemiar, de-  
sperationes, perfidiaz, pusillanimitates, scrupulositates, timores, validissimiq; terro-  
res ipsam concutientes, solam ac omni auxilio destitutam inuenientes obruunt.  
Vnde quo se vertere, quo se extricare possit, imò & quomodo secum agatur non  
intelligit. Hæc præssura ex multis confluens, eius aded intima vulnerat, adeoq; fatis-  
cat, vt consumptis penè ossium medullis, sensuumq; ac vitæ se tandem fieri exper-  
tem formidet. Ea propter si nihilo minus nuda ac sola erga me fide confians persistet,  
vtpote alijs omnibus spoliata, & seipsam relinquens, sub potenti manu mea se hu-  
miliet, nullamq; aliunde consolationem querens, super incude propriæ resignatio-  
nis tundi à me ac fabricari se sinat, præstolans me solum, nullumque querens libe-  
rationis effugium. Si ita inquam, sese mihi credere & relinquere audeat anima in-  
ter omnes dubietates, ignorantias, obscuritates, ariditates, preffuras, tentationes,  
derelictiones, quæ contra ipsam spem quoque militant, ac fiduciam omnem pro-  
fus abrogare moliantur, nec me deserat, sed beneplacitum meum expectet, nascen-  
tur eidem, gratia mea clam in ea operante, bona ineffabilia. Propterea ô filia si didi-  
ceris tunc non querulari, non discurrere corde, ac pro releuatione extrahagari, sed  
sustinere ad finem, tacere atque me præstolari, tribulatio hæc ipsa pariet me (quod  
desideratissimum tibi esse debet) in anima tua. At si ad alia te conuerteris, ea quæ  
requiris in te nascentur. O si scires te exire, te deserere, teq; in me proicere, mihi re-  
linquere ac credere. Filia, quicquid homo patitur, siue id sponte assumptum fue-  
rit, siue aliunde acciderit patiendum, modo voluntarium aded fit, vt illo mei causa  
nolit



nolit carere, vtpote necessitate in virtutem mutata, si illam aduersitatem in me re-  
tulerit, scilicet ad passionis meae honorem, & in gloriam meam cum profunda humi-  
litate ad patiendum mihi obtulerit, magis mihi accepta est hoc modo deuotio pa-  
tientis, quam bene operantis. Adde praeterea, quod bonae menti maior consolatio  
est per sui abnegationem aliquid pati, quam aliquid bene operari: si tamen caetera  
alioquin paria sint: Quia plus aduersatur naturae passio aut calamitas toleranda,  
praesertim vltro non assumpta, sed aliunde adueniens, quam virtus operanda. Ibi  
praemittitur natura, spiritus vero erigitur. Quicquid autem naturae plus aduersatur,  
durius premit. Hinc aduertis quantus sit fructus, patientiae, quam multa secum bo-  
na afferat calamitas aequanimitate tolerata. Haec est calix benedictionis, quo sanctos  
meos omnes potavi, & omnes inde auidè biberunt. Quapropter non dubites sancto-  
rum fuisse neminem, qui non per viam tribulationis & abnegationis ad me vene-  
rit, hoc est, qui non crucem suam post me portauerit. Quotquot enim fuerunt, aut  
corporis, aut cordis sanguinem mei amore fuderunt, hoc est, aut externam aut in-  
ternam crucem habuerunt. Quanta iam verecundia meritò tibi deberet oriri, quae  
non vnum quidem verbum durum potes sustinere, aduersitates autem horres, &  
nimium formidas, cum tamen haec omnia nisi ex magno amore à me tribuantur,  
id est, solis electis meis, vt quae mundi sunt fastidiant, & ad me conuersi, pacem & cō-  
solationem ex me solo expectent. Quid iam timere habes sub manu mea? Quis po-  
terit tibi nocere, quamdiu me habueris patrem atque patronum? Noli igitur time-  
re, sed abiecta omni pusillanimitate gratias agendo quicquid tibi euenerit de manu  
mea accipe: & quamdiu libet, ad patienter sustinendum te mihi praebere. Per aduersi-  
tates enim ego seruis meis occulta mea dona praebere. In aduersitate me plures inue-  
niunt, quam in prosperitate. Propterea quicquid ab hominibus tibi fiat, aut quis te  
despiciat, quis ve molestia premat seu contumelia, noli pefare: sed hoc prouide, ne re-  
mordeas, ne remurmures, ne vltionem cogites, ne denique iniuriam tibi fieri pu-  
tes, imò ne homines quidem, sed me cogites, me attende praesentem qui haec facio.  
Meditare, quomodo omnia ac singula quae tibi eueniunt ad laudem meam conuer-  
tas, & quomodo ex quolibet boni aliquid exhaurias. Ea enim propter ego haec tibi  
misi Filia, quemadmodum male agere & prosperitate gaudere, damnationis futu-  
rae est argumentum, ita bona agere, & mala pati, salutis est indicium. Porro perfe-  
ctissimum est omni consolatione, hoc est, tam humana, quam diuina esse destitu-  
tum, & interim patientia, longanimitate, atque plena sui relictione seipsum mihi  
subicere. Qui eiusmodi sunt, & mihi fideles adherent, quamuis nullam deuotionem,  
nullum amorem habeant sensibilem, quamuis arido, sicco, compresso, obscuroque  
torde omnia faciant, tamen si nolunt à me recedere & me etiam verberantem, &  
quasi non amantem, aut quasi repellentem (qui tamen eos maximè tunc amo) su-  
stinent, hi sunt amici mei, quorum laus, licet ex corde prodeat angustiato me oble-  
stat. Porro quando super huiusmodi qui nec intus, nec foris habent quo se sustērent  
excepta sola nuda fide & charitate (quam tamen nec ipsi in se sentiunt) exterior de-  
spectio, contumelia, correptio, humiliatio ve acciderit, & hanc humiliter suscipiūt,  
nec verbo aut signo redarguunt, nec excusant aut defendunt, quin potius quasi nul-  
la fieret sibi iniuria, non sentiunt, hi veram adepti sunt patientiae virtutem: hi iam  
soli non patiūtur, sed ego patior in illis: & quicquid eiusmodi fit, grauiter vlciscor.  
Nam qui tangunt eos, tangunt pupillam oculi mei. Nam licet in mundo quasi de-  
spectissimi, viles & ab omnibus derelicti habeantur, sunt tamen (quamuis & ipsi ne-

Abnegatio  
sui quā ma-  
gna cōso-  
latio fit.

Sine tribu-  
latione ne-  
minem vn-  
quam sal-  
uatum.

In aduersi-  
tibus Deū  
inueniri.

Consolatio-  
ne omni tū  
diuina tum  
humana nu-  
dari cuius  
rei fit argu-  
mentum.

Patientiam  
reuera qui-  
nam sint a-  
depti.  
Zach 2



sciant amici mei secretissimi. Ad horum filia despectionem aspira, & crucem tuam vndecumque tibi eueniat, humiliter atque desideranter amplectere, patienter & equanimiter porta. Filia, si his qui à me post hanc vitā sunt separandi, adeò ad vniuersa cuncta hic accurrerent, si adeò eos nil contristarēt aut læderet, vt etiam ambulantes lanam pedibus calcarent: & si his qui mecum regnabunt felicissimi gaudiisque pleni, modo occurrerent tantæ persecutiones, vt quos calcant lapides, resiliētes ipsos in ora rerunderent, neutri digna his quæ sequuntur hic reciperent. Pati namq; his aduersa, regia est via, quæ à me arcta nōminatur, perducens in regnum coelorum.

Via regia vt  
sit hic pati  
aduersa.  
Mat. 7

Conuicia  
cur præstat  
hic pati quā  
laudes.  
Perfectissi-  
mus quisquā  
hic reuera  
existimāus.

Ambula igitur in hac via & gaude, gratiasque age mihi, quod te digner hoc honore, cui ad patiendum tribuam. Itaque eis qui tibi molesti sunt, tu econtrariò non sis molesta.

Quid enim aliud virga potest, quam cædere? & quid homines tibi facient, si ego noluerō? A me igitur omnia accipe, homines vero à me iustos, vt tibi sint graues, arbitrare. Mihi igitur, si te ignominia contumeliave afficiunt, obtemperant. Disce tamori tibi ipsi, vt perinde tibi sit & laudari, & conuicia pati: imò præstat conuicia patienter audire, quam laudes. Illa enim humiliant hæc extollunt. Proinde perfectior æstimandus est, qui ad verba dura benignus mitisque mollior respondet, quam qui (licet in cælum quotidie rapiatur) nescit ad increpationes nisi impatienter respondere. Porro perfectissimus est ille, qui cum omnem fert iniuriam, cum ab omnibus male audiat, cum despicitur, à Deo non vlsci desiderat aut retaliari, vt etiam de suo gaudeat opprobrio, exultetque se ab omnibus quæ mundi sunt, id est, ab amicis à fauoribus, à rebus, ab honoribus esse alienum, quem nemo defendat, nemo excuset, nec ipse excusabilem se existimet, totus pauper & mihi derelictus. Itaque filia quantiscumq; te senseris tribulationibus, aduersitatibusve obrui, tanto magis in mente debes gaudere, quod meam in te habeo & perficio voluntatē, quod te mihi conformo quod denique quo apta sis mihi coniungi te dignam facio.

*Exercitium animæ deuotum ac pium.*

CANON XII.

**Q**uoridie igitur hoc in oratione tibi sit exercitium. Primò, vt pro omni aduersitate, pressura & tribulatione, quam vllō in tempore habuisti vquam, me laudes, mihi que gratias agas. Deinde, pro charitate, immensoque amore, quo ex paterno corde tui misertus, & te mihi attrahere cupiens, aduersitates tibi misi, atque prouidi. Tertio ora me pro omnibus, qui tibi vquam molestiam iniuriamve aliquam irrogarunt, vt illis propter infinitam misericordiam meam ignoscā, & non solum ignoscā, sed etiam æterna bona, propterea quod vel ignorantes meæ prouidentia seruierunt eis retribuam. Quarto pete veniam tu, quod ad prouidentiam meam tu tam cæca, tam tarda, tamq; ingrata, aduersitates non hilari receperis animo, nec patienter æquanimiterq; tolerasti, spolians temetipsam gratia meæ fructu, quem in his tibi dare statueram.

Quinto, vt offeras te atque resignes in omne beneplacitum meum, ad quacūque molesta sentienda in tempore & æternitate, quamdiu mihi placet, nec per ea intendas quasi pro peccatis tuis velis aut possis satisfacere (nam pro his meam mihi satisfactionem, hoc est, passionem meam offeras) sed idē te mihi resignes, vt iustitia meæ & beneplacito meo in te satisfiat ad gloriam meam sempiternam, orans vt te dignam

Resignare se  
Deo cur qui-  
libet debeat.